



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

2. Dicteria dicterijs reposita.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45699

Matth. 7. 2. Hoc est, quod dicitur: *In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.*

II.

Et quidem in conuiuijs plurima quotidie audiuntur exempla, seu propter generis obscuritatem; seu propter patriæ ignobilitatem; seu ob inopiam; seu ob corporis defectum; seu ob ingenij, doctrinæ, morumque inelegantiam; aut alios quoscumque errores. De stirpis obscuritate Plutarchus refert, Iphicratem Hermodio ignobilitatem exprobranti respondisse: *Mei generis nobilitas à me incipiet, tua autem in te desinet.* Simile quiddam, ob patriæ barbariem, recenset Laërtius, de Anacharsi; cui cum Atticus quidam obiecisset, quòd Scytha esset, dixit: *Mihi quidem probro est patria, sed patria tu.* Apud Valerium, ob inopiam Diogenes, Syracusis, cum olera ei lauanti Aristippus dixisset: *Si Dionysium adulari velles, ista non esses. Immo, inquit, si tu ista esse velles, non adularer Dionysium.* Ita familiæ, patriæ, & mensæ conuiuium in auctores suos est retortum. Neque in militia ob defectum corporis, defuit opprobrij retorsio. Nam, eodem Valerio teste, Androclydas increpitus à quodam, quòd in aciem claudus descenderet; *pugnare, non fugere, propositum sibi esse, respondit.* Præstitisset nimirum etiam alterum claudum esse, quàm armis abiectis deserere stationem; maiusque est vitium, pedibus fugere, quàm claudicare. Agathocles Siciliae rex, cum urbem obsideret, & aliqui conuiuiarentur, dicentes: *O sigule, quo modo militibus stipendia solues?* respondit: *Cùm urbem vestram cepero.* Ille dictum, iste spiculum iecit; ille de pecunia, iste de victoria triumphandam existimauit; ille, quod minus; iste, quod maius est curandum putauit. Quemadmodum

Plutarch in apotheg.

Diogen. Laërt. lib. 2. de Philosopho. Val. Maxim. lib. 4. cap. 4.

Idem lib. 3. cap. 7.

Plutarch in apotheg.

Idem ibid.

& Anthagoras, qui, eodem Plutarcho teste, congrum cum conqueret, & Antigonus illi assistens dixisset: *Putasne Homerum Agamemnonis & Græcorum rebus describendis intentum, quo modo congrui melius saperent, pensitasse?* respondit: *Opinaris, o rex, Agamemnonem sollicitius perscrutatam, scquis in exercitu congrum coqueret?* Talia se se quotidie offerunt. Noui ego hominem non indoctum, qui ut alios suauius de erroribus suis admoneret, solebat increpationi iocos admiscere, ut id, quod est iniucundum, lætius audiretur, si salibus esset conditum. Quidam autem, cum ne sic quidem posset pati correptionem, acerbo satis sarcasmo eum in-

terro-

terrogauit: *Ubinam in stultorum nauigio sederet?* Cui ille. *E regione cui,* inquebat; inuens eum ex aduersum sedere, æquali stulticia præditum. Adhuc acerbius iocum ioco reddidit mihi notificimus, nec sanè infimi nominis Iurisconsultus & Doctor. Eum quidam, inter pocula hilarior liberiorque ad iocandum, interrogauit: *Quodnam esset discrimen, inter Doctorem & stultum?* Cui ille, *ut breuissimè id tibi dicam,* inquebat, *Illud ipsum est inter Doctorem & stultum discrimen, quod est inter me & te.* Nempe memor fuit illius oraculi: *Responde stulto iuxta stultitiam suam, ne sibi sapiens esse videatur.* Nihil potuit tum breuius ueriusque dici. Stultorum enim proprium est, alios sibi similes arbitrari; nec sentiunt, si leniter verberantur. *Non recipit stultum uerba prudentia; nisi ea dixerit, quæ versantur in corde eius.*

Prou. 26. 3.

Eccles. 10. 3.

Prou. 18. 2.

Qua de causa quidam alius, cùm interesset litibus inter illustres domos componendis; nec abesset *mulier stulta & clamosa,* quæ se sapius iactauerat de spe nobilissimi sponsi, uoluit eam ea ipsa spe mitigare, dicens, sponsum tantò facilius in nuptias consensurum, si intelligeret, illam non esse rixosam, & toties sua promissa retractantem. Nihil mouit ea oratio caput cerebrosum. Tum alter à spe ad metum se conuertens aiebat, fore profectò, si illa pergeret esse contumax, ut & sponsus suam retractet sponsonem. Cui illa, nihil moror, ait, si ille me non uult ducere, decem habeo alios. Hic diribitor ille tam superbæ Furia: subiratus, Profectò, inquebat, *Domina, si talis es, Carnifice marito non es digna.* Dixit, & tamquam si pulueri pyrio ignem admouisset, ita illa repente impotenter exarsit in iras; neque secus atque infana Mænas concitata ad cognatorum suorum, qui planè numero si ad illud negotium tractandum conuenerant, aduolans confessum, magnis cœpit uocibus expoſtulare contra diribitorem, & accusare, quòd toti familiæ omnibusque cognatis magnum opprobrium intulisset. Sedebant attoniti omnes, & grande aliquid allaturam expectabant, diribitorem quoque toruis oculis intuentes; qui eos his uerbis est allocutus. *Ego, Domini, huc usq; operam dedi, ut nihil negligerem eorum, quæ uidebantur facere, ad hanc Dominam placandam: eamq; operam omnem & laborem impendi, ut uobis gratificarer. Dolerem itaq; ex animo, si quidquam uel dixissem, uel fecissem, quod*

III.

Prou. 9. 13.

X x x

vobis